

PROLOGUS

1 - *Aurum purissimum*, ut dicitur in primo libro Paralipomenon, *dedit David, ut ex ipso fieret similitudo quadrigae cherubim, extendentium alas et velantium arcam foederis Domini*¹.

2 - Dicitur in Genesi: In terra Hevilath nascitur aurum, et aurum terrae illius optimum est². “Hevilat interpretatur parturiens”³, et significat Sacram Scripturam, quae est *terra primo parturiens herbam, deinde spicam, deinde plenum granum in spica*⁴. In herba ALLEGORIA, “quae fidem aedificat”⁵: Germinet, inquit, terra herbam virentem⁶; in spica, ‘a spiculo dicta’⁷, MORALITAS, quae mores informat et sua dulcedine animum transverberat; in pleno grano ANAGOGE figuratur, ‘quae de gaudii plenitudine et angelica beatitudine tractat’^{8/a}. In terra ergo Hevilath nascitur aurum optimum, quia ex textu divinae paginæ sacer intellectus elicetur. Quia sicut aurum ceteris metallis^{8/b}, sic omni scientiae supereminet intellectus; “litteras enim nescit qui sacras non novit”^{8/c}. De hoc ergo dicitur: *Aurum purissimum dedit David*.

3 - ‘David interpretatur misericors, vel manu fortis, aut aspectu desiderabilis, et significat Dei Filium, Iesum Christum’⁹, qui misericors fuit in Incarnatione, manu fortis in Passione, aspectu desiderabilis erit nobis in aeterna beatitudine. Item, est misericors in gratiae infusione, et hoc in incipientibus, unde dicitur ‘misericors quasi miserum rigans cor’¹⁰. Unde dicitur in Ecclesiastico: *Rigabo hortum plantationum, et inebriabo partus mei fructum*¹¹. Hortus est anima, in qua Christus, tamquam hortulanus, sacramenta fidei plantat, quam tunc rigat, cum gratia compunctionis fecundat; de qua adhuc subiungitur: *et inebriabo partus mei fructum*. Anima nostra dicitur dominici partus, idest doloris, fructus, quia eam, tamquam mulier parturiens, edidit in angustia Passionis: *Cum clamore*, inquit Apostolus, *valido et lacrimis offerens*¹². Et in Isaia: *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? Dicit Dominus*¹³. Inebriat ergo partus sui fructum, cum, myrra et aloë Passionis, mortificat delectationes carnis, ut anima quasi ebria obliviscatur ista temporalia: *Visitasti*, inquit, *terram et inebriasti eam*¹⁴.

¹ 1Par 28,18 (Vg. ... dedit ut...)

² Gen 2,11-12

³ GLO. ORD., Gen 2,11. ERNALDUS BONAEVALLIS (1071-c.1113), *De operibus sex dierum*, PL 189,1547: «Phison intelligitur oris commutatio, Hevilath parturiens vel dolens».

⁴ Mc 4,28 (Vg. *terra fructificat primum herbam... deinde plenum frumentum...*).

⁵ GREGORIUS, *In Evangelia* homilia 40,1, PL 76,1302. Cf. AUGUSTINUS, *De doctrina christiana*, 1.4.c.5, n.7, PL 34,92.

⁶ Gen 1,11

⁷ Cf. ISIDORUS, *Etymologiarum* XVII,3,15, PL 82,600

^{8/a} Cf. BEDA, *De Tabernaculo*, I,6, PL 91,410

^{8/b} Cf. ALANUS DE INSULIS, *Liber Sententiæ*, PL 210,236 : «Par aurum anagoge».

^{8/c} HIERONYMUS: «Litteras nescit qui Scripturam ignorat»; Augustinus. THOMAS DE CHOBHAM, *Summa de arte praedicandi*, c. 4

⁹ Cf. GLO. INT., 1Reg 16,13; GLO. INT., Mt 1,5; GLO. ORD., Mt 1,6. Cf. HIERONIMUS, *De nominibus hebraicis*, lit. D, PL 23,53: «David, fortis manu, sive desiderabilis».

¹⁰ Explicatio nominis «misericors», per verbum «rigans», videtur Antonio propria (!). Simile quid alibi invenitur. AUGUSTINUS (*De moribus Ecclesiae catholicae*, I,27,53, PL 32,1333): «Quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo?» Idem sensu habet GREGORIUS (*Moralium* XX,32,63, PL76,175): «Misericordia autem a misero corde vocata est...». Item ISIDORUS (*Etym.* X,165, PL 82,384): «Misericors, a compatiendo alienae miseriae vocabulum sortitus est; et hinc appellata misericordia, quod miserum cor faciat dolentis alienum miseriam». Item THOMAS CISTERCIENSIS (- 1189) ET IOANNES ALGRINUS, CARDINALIS (- 1237), *Commentaria in Cantica cantorum* (1173-1189), PL 206,29: «Est autem triplex misericordia: prima speciosa, secunda spatiosa, tertia spatiosa... Iuxta primam, dicitur misericordia, quasi miserum cor dans; iuxta secundam, dicitur misericordia, quasi seorsum rigorem cordis; iuxta tertiam, misericordia dicitur mira suavitate rigans corda». Vedi “misericordia” in I,459,29ss.

¹¹ Eccli 24,42 (Vg. ... *hortum meum...*; *et inebriabo prati mei...*; in GLO. ... *hortum plantationum*; *et inebriabo partus mei...*).

¹² Hebr 5,7

¹³ Is 66,9

¹⁴ Ps 64,10

Item, est manu fortis, cum provehit de virtute in virtutem, et hoc in proficientibus. Unde dicit in Isaia: *Ego Dominus Deus tuus, apprendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, quia ego audivi te*¹⁵. Sicut pia mater parvuli filii, nutantis ascendere, sua manu manum apprehendit, ut post se ascendere possit, sic Dominus manu pietatis apprehendit manum humilis poenitentis, ut ascendere valeat per scalam crucis ad gradum perfectionis, ut aspectu desiderabilem, *regem in decoro suo*¹⁶, *in quem desiderant angeli prospicere*¹⁷, mereatur cernere. Noster ergo David, Dei Filius, *misericors et miserator Dominus*¹⁸, *dedit, qui dat omnibus affluenter et non improperat*¹⁹, *aurum, idest sacrum divinae Scripturae intellectum: Aperuit illis, inquit, sensum, ut intelligerent Scripturas*²⁰; *purissimum, idest omni faece, omni scoria haereticae pravitatis purgatissimum.*

4 - Sequitur: *Ut ex ipso fieret quadriga cherubim*, ‘quae interpretatur plenitudo scientiae, et significat Vetus ac Novum Testamentum’^{21/a}, in quo est plenitudo totius scientiae, “quae sola scit scire, sola scientes facere”^{21/b}, cuius auctoritates sunt quasi alae, quae tunc extenduntur, cum supradicto triplici modo exponuntur; et sic velant *arcam foederis Domini*. “Arca dicta, quod arceat visum”²², “vel furem”^{23/a}. Arca est fidelis anima^{23/b}, quae debet a se arcere visum superbiae, de quo in Iob: *Omne sublime videt*²⁴, et furem, ‘qui a furva nocte dicitur’²⁵, simulatae sanctitatis, de quo in Psalmo: *A negotio perambulante in tenebris*²⁶.

Haec arca dicitur *foederis Domini*, quia foedus sempiternum initum cum Domino in Baptismo, scilicet renuntiare diabolo et pompis eius: *Iuravi, inquit, et statui custodire etc.*²⁷. Alis cherubim haec arca velatur, cum tam Novi quam Veteris Testamenti praedicatione ab ardore mundanae prosperitatis, a pluvia concupiscentiae carnalis, a fulgere daemoniacae suggestionis protegitur et defenditur.

5 – Ad Dei ergo honorem et animarum aedificationem; et tam lectoris quam auditoris consolationem, ex ipso Sacrae Scripturae intellectu, utriusque Testamenti auctoritatibus, quadrigam fabricavimus, ‘ut in ipsa cum Elia a terrenis anima elevetur et in caelum caelesti conversatione deferatur’²⁸. Et nota quod ‘sicut in quadriga quattuor sunt rotae’²⁹, sic in hoc opere quattuor tanguntur materiae, scilicet evangelia dominicalia, historiae Veteris Testamenti, sicut in Ecclesia leguntur, introitus et epistolae missae dominicalis. Quae ad invicem, prout divina gratia dispensavit et

¹⁵ Is 41,13 (Vg. ... adiuvi te)

¹⁶ Is 33,17

¹⁷ 1Pt 1,12

¹⁸ Ps 110,4

¹⁹ Iac 1,5

²⁰ Lc 24,45

^{21/a} Cf. GLO. ORD., Ex 25,18. ANGELOMUS LUXOVENSIS (c. 895), *Enarrationes in libris Regum*, PL 115,281C: «*Cherubim namque plenitudo scientiae interpretatur, quae in duobus Testamentis invenitur, quamquam ad Christum referri potest, in quo omnes, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi*». Per l’interpretazione “cherubim, plenitudo scientiae, cf. HIERONYMUS, *De nominibus hebraicis*, PL 23, 820: “scientia multiplicata”; 831: “scientiae multitudine”; idem, in *Epistola ad Paulinum*, PL 22,548. Ripreso da GREGORIUS, *Homilia 34 in Evangelia*, PL 76,1252A; e RICHARDUS A S. VICTORE, *Beniamin maior*, 4, 5, PL196,140D.

^{21/b} AUGUSTINUS, *De ordine*, 2, 13, PL32, 1013: «(Dialectica) docet docere, haec docet discere; in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit quae sit, quid velit, quid valeat. *Scit scire; sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest*” Antonio applica alla Scrittura le proprietà che Agostino attribuisce alla dialettica, come strumento di formazione della ragione.

²² ISID., *Etym.* XX,9,2, PL 82,719

^{23/a} ISID., *Differentiarum* I,9, PL 83,115

^{23/b} GERHOBUS REICHERSPERGENSIS (1093-1169), *Commentarius aureus in Psalmos et cantica feriale continuatio*, PL 194,878A: «Propter huiusmodi procellas mitigandas, o Domine, frequenter surgens, impera ventis et mari, ut fiat tranquillitas magna, in qua tu et *arca tua, sancta videlicet Ecclesia seu quaeque fidelis anima*”.

²⁴ Iob 41,25

²⁵ Cf. ISID., *Etym.* X,107, PL 82,378; *Diff.* I,340, PL 83,45

²⁶ Ps 90,6

²⁷ Ps 118,106

²⁸ Cf. 4 Re 2,11; GLO. ORD., Mc 1,16

²⁹ Cf. GLO. ORD., Cant 6,11

‘pauperculae scientiolae tenuis vena respondit’³⁰, ‘post terga metentium cum Ruth Moabitide, in agro Booz remanentes spicas’³¹, cum timore et pudore, quia tanto et importabili oneri insufficiens, sed ‘precibus et caritate fratrum, qui me ad hoc compellebant, devictus’^{32/a}, colligens concordavi. Et, ne lectoris menti materiae multiplicitas et concordantiae varietas confusione et oblivionem ingereret, evangelia in clausulis, prout Deus inspiravit, divisimus et unicuique historiae et epistolae particulas concordavimus. Exposuimus evangelia et historias aliquantulum diffusius, introitum et epistolam summatim et brevius sub compendio, ne fastidii dispendium verborum nimetas parturiret. Difficillimum est enim prolixam materiam brevi et utili sermone comprehendere.

Ad hoc nostri temporis lectorum et auditorum devenit insipida sapientia, quod, nisi verba polita, exquisita et novum quid resonantia invenerit vel audierit, legere fastidit, audire contemnit. Et ideo, ne verbum Domini, in animarum suarum periculum, eis veniret in contemptum et fastidium, in cuiuslibet evangelii principio PROLOGUM eidem CONSONANTEM praemisimus, et quasdam rerum et animalium naturas^{32/b} et nominum etymologias, moraliter expositas, ipsi operi inseruimus. Omnia etiam auctoritatem huius operis principia, e quibus competenter elici potest thema sermonis, in uno compilavimus; ‘et in principio libri loca, in quibus reperiri, et quaelibet cui rei aptari valeant praenotavimus’³³.

Dei ergo Filio, omnium creaturarum principio, in quo solo istius operis mercedem posuimus et expectamus, sit omnis laus, omnis gloria, omnis honor. Qui est benedictus, gloriosus, beatus Deus per aeterna saecula. Dicat omnis Ecclesia: Amen. Alleluia.

Confronto - 1: **Antonio-P. Lombardo**, “*Pauperculae scientiolae*”. Prologus.

Antonius, Sermones, Prologus, I,3,24-25.30-31-4,16-19	Petrus Lombardus, Sententiarum libri IV. Prologus, PL 192,521
... prout divina gratia dispensavit et ‘ <i>pauperculae scientiolae</i> tenuis vena respondit’.	Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra <i>cum paupercula</i> in gazophylacium Domini mittere.
Precibus et caritate fratrum, qui me ad hoc compellebant, devictus.	Non valentes studiosorum vitis iure resistere, eorum in Christo laudabilibus studiis, lingua ac stylo nos servire flagitantium.

³⁰ Cf. PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, Prologus, 1, PL 192, 521; Ad Claras Aquas, p. 3: «Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra *cum paupercula* in gazophylacium Domini mittere».

Nello stesso Prologo, un altro passo insiste sulla stessa limitatezza intellettuale: «Fidem nostram... ac theologicarum inquisitionum abdita aperire... *pro modulo intelligentiae nostrae* notitiam tradere studuimus». Vedi Confronto - 1: Antonio-P. Lombardo: “*Pauperculae scientiolae*”. Prologus.

³¹ Cf. Rt 2,3,7; LECLERCQ, *Inédits bernardins*, p. 157. Cf. HERMANNUS S. MARTINI TORNACENSIS, *De incarnatione Christi*. PL 180,32: «Quod si aliquis dicere velit, sufficere posse expositionem antiquorum Patrum et novam vel insolitam superaddi non debere, respondemus iuxta illam Ruth Moabitidis sententiam, quae paupertate oppressa loquitur ad Noemi socrum suam: “Si iubes, vadam in agrum et colligam spicas remantes post terga metentium” (Rt 2,3)».

^{32/a} Cf. P. LOMB., o.c., 2, ibidem; Ad Claras Aquas, I, p. 3.

^{32/b} Come nota Agostinho Figueiredo Frias, sant’Antonio utilizza testi di Aristotele sugli animali come *auctoritates*, esposti moralmente, allo stesso livello delle *auctoritates* dei testi biblici. Una novità, possibile nella regione di Tolosa, che nel 1229 aprì alla lettura e allo studio dei *Libri naturales* di Aristotele, e dove Antonio insegnò negli anni 1225-1227 (TEODOSIO LOMBARDI, *Atti*, p. 817); cioè in ambienti lontani dalle autorità ecclesiastiche di Parigi, che negli statuti della nascente Università di Parigi (1215) avevano condannato la lettura di autori pagani. Cf. AGOSTINHO FIGUEIREDO FRIAS, *Lettura ermeneutica dei “Sermones” di sant’Antonio di Padova*, Padova, Centro Studi Antoniani 1995, p. 133-135. Un esempio di tali letture è l’applicazione della situazione centrale del cuore nel corpo umano alla centralità dell’amore di Dio nell’uomo, in II, 163,24-164,12.

³³ Cf. P. LOMB., o.c., 5, ibidem; Ad Claras Aquas, I, p. 4.

<p>Omnium etiam auctoratem huius operis principia, e quibus competenter elici potest thema sermonis, in uno compilavimus;</p> <p>et in principio libri loca, in quibus reperiri, et quaelibet cui rei aptari valeant praenotavimus.</p>	<p>Brevi volumine complicans patrum sententias, appositis eorum testimonii, ut non sit necesse quaerentium librorum numerositatem evolvere, cui brevitas quod quaeritur offert sine labore.</p> <p>Ut autem quod quaeritur facilius occurrat, titulos quibus singulorum librorum capitula distinguuntur praemisimus.</p>
---	--

Antonio utilizza l’‘incipit’ del Lombardo più per il lessico che per il contenuto. La *paupercula scientiola* di Antonio è la sua scienza, attribuita dalla grazia; quella del Lombardo, la scienza, associata all’offerta della povera vedova (Lc 21,2-4). La povera scienza del Lombardo è definita con due sostantivi, *tenuitas* e *penuria* che si rispondono come due sinonimi; quella di Antonio fa riferimento alla stessa *tenuitas*, ma in forma aggettivale, *tenuis*, cioè riferita alla *vena* dell’ispirazione, la cui fonte è Dio. Nella stessa maniera, Antonio s’ispira al Lombardo per altri spunti del suo metodo di lavoro, collegandosi così ai procedimenti della letteratura patristica, in particolare al *De Trinitate* di Agostino e di Ilario.